

BIBLIOTEKA


Zakl. Nar. im. Ossolińskich


XVII

565









^v
Christophori Varseuicij C.C. 16

AD SERENISSI-
MVM POTENTISSIMVMQ.
PRINCIPEM ET DOMINVM
D. IACOBVM Deigratia An-
gliaë, Scotiaë, & Britan-
nię Regem,

O R A T I O.



CRACOVIAE.

In Officina Iacobi Sibencycher, Anno Domini
1603.

18.217

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and includes the name "JACOBYM" and other illegible words.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and includes the name "JACOBYM" and other illegible words.

XVII - 565 - III

O R A T I O.



I C V I P I A M A L T E R I, P O S T
 homines natos principi, tibi quidem
 I A C O B E R E X Britannorum omni
 ratione, maximè Anglię regno nu-
 perrimè aucto, hanc talem tantamq;

foelicitatem, singulari D E I munere beneficioq;
 largitam, iure & merito debemus gratulari. Videtur
 enim illa nõ tam villo (si quæ est) fortunæ impetu,
 quàm virtuti amplissimisq; virtutibus tuis potius
 adscribenda. Magni sunt fueruntq; semper An-
 glorum Reges: sed nescio; si tu iam superior
 laudum tuarum magnitudine ac splendore, lon-
 ge alios non sis prætergressus. Nam quod idem o-
 mnibus propè gentibus & nationibus vsu venit;
 cumq; in his ambobus regnis docti liberaliterq; ex-
 culti principes, omnibus ætatibus rari; & bellicis
 artibus quam pacis magis memorabiles extiterint:
 Tu utroq; nomine tātus es; ut nec rei militaris sci-
 entia, nec robore animi ac corporis nec ingenio,
 nec doctrina maior, iam ipso esse te amplius pos-
 sis. ut verè quod ille illiteratum asinum Regem aie-
 bat fuisse coronatum; Te dicat super multos, & for-
 tasse etiam supra eos Reges diademate dignio-
 rem, qui vnum Regnum satis pro Philosopho fuisse
 affirmabant. Quò magis & ego cum aliàs etiam

O R A T I O.

dederim, gratasq; intellexerim meas fuisse literas, meę erga te fidei & obseruatię ppetuas testes; tū vero nūc vel maxime ad hęc inaugurationis tuę celebritatem, oculis atq; animo hauriendam libenter accurissem, nisi me impediissent Senium, & valetudo. quę duo, cum sint mortalibus omnibus grauiā; tum mihi vltra quàm sexagenario, & tot tantisq; tam publico quàm priuato nomine, obitis perfectionibus facto seni, grauissima: adeò vt veniā, benignitate tua dignam, daturum te mihi sperem, optem quidem certe; cum vel aliqua saltem ex parte, isthęc meę erga te constantis voluntatis, suffecerit ad ptesens, apud te testificatio quę eiusmodi est, vt haud dubiè tibi semper & vbiq; constiterit, in omnibus rebus & occasionibus iis, quę ad tuam familięq; tuę gloriam & dignitatem maxime pertinebunt. Quis enim post hominum memoriam solidiori concordia, tranquillioribus ciuiū animis, consentiētibus suffragiis Rex in Anglia est declaratus? Magna antea actis temporibus inter Anglos & Scotos bellorum fuerunt certamina; adeò vt iustis exercitibus, cruentis p̄liis, euentibus variis inter se mutuo sæpe decertarint. Quę nunc quidē vno te eodemq; vtriusq; Regni capite, omnia pacatiora futura & quietiora, certo nobis pollicemur. Quid enim hoc esset aliud, quàm membrorū

contra

contra caput, & capitis contra membra, quàm Po-
 òtæ somniant, turpiter imitari discordiam, qua to-
 tum corpus contabuit & pristinam sanitatem nun-
 quam postea recuperavit. Omnes enim morbi, atq;
 Reipub. adeò mala, libratim, vt ita dicam, crescunt;
 decrescunt vnciatim, & minutatim. Animaduer-
 timus quæ vicinis acciderint Regnis & Prouinciis,
 in quibus cum multa quotidie funera, tum victoria
 est funestissima, ciuili cruore madefacta. Nemi-
 nem nomino, propterea etiam mihi succensere
 nemo: sed & vestra Britannia persensit hæc aliquan-
 do. Quam pestem fugiatis obsecro, & nihil intesti-
 no bello ac tumultu perniciosius esse existimetis.
 Vt enim tabida febris non prius noscitur quàm e-
 gerrimè extirpatur; sic & Reipub. carcinomata nõ
 prius quàm vires egerint, serò admodum aut curan-
 tur aut etiã explorantur. Magni enim sunt recessus
 mortalium mentiũ, & odia cum cœperint vehemen-
 tius indies gliscũt, nec ita vt exarserint facilè con-
 quiescunt. Circũferas quo velis oculos, & vel solum
 illam intueare decus quondã & columen Christiani
 nominis Hungariã, propter ciuium dissensionẽ mi-
 rabiliter à Turca laceratam. Centũ & quinquaginta
 annis Turcica vexilla contra Hungaros sunt cir-
 cumlata; non nisi autem à septuaginta annis ciuili-
 bus armis incepta est laniari. Hoc accidet etiam dis-

sitis à Turca remotissimè, siue domestico tumultu,
 siue ob ciuium inter se discordiam à vicinis populis
 infestatis. Nulla enim magis opportuna occasio
 est ad exitium vicini, quàm exorta inter duos odia
 & dissidia, qui debebant suæ libertatis mutui existe-
 re defensores. Et quisquam dubitat, nihil vel ipso
 triumpho in ciuili bello esse perniciosius? in quo
 & qui vincitur interit, & victor nullū finem impo-
 nit victoriam persequendi. Nam bella domestica
 antequàm persentias, suaptè crescūt, exorsa difficul-
 ter quiescunt: & ruina potius quàm quapiam rati-
 one alia cum tota domo restringuntur. Quam lon-
 ge lateque olim Romanorum diffusum erat impe-
 rium, quod octingentis annis antequam ad illam
 peruenisset amplitudinē creuit sensim, decreuit de
 repente, paulò postquam octennio ciuilibus moti-
 bus cœptum fuerat agitari. Sed si fortè vetera exter-
 naque non permouent ita animum, saltem quæ
 sub hoc Henrico VIII. Rege vestro, facies fuerit in
 Anglia rerū intueamini. Non fuit eo Rex, quoad
 intra septa officij sui se continebat, gloriosior: qui
 & principum arbitri famam, defensorisq; fidei titu-
 lum erat adeptus. Mox non fuit infelicior. addo
 & in illis templorum spoliis pauperior, simul at-
 que de statione mentis ac rationis semel fuerat de-
 turbatus. Contrarium dicet aliquis, & mihi quod
 in ista oratione euagor liberius, adeo etiam succen-
 sedit

sebit, inq; rebus sedibusq; alienis curiosum appel-
 labit. Esto sane, opinionem suam dicere, quis
 verat? sed & quæ ea est curiositas, quæ cõmunis bo-
 ni propositam habet intentionem. Si non v-
 nius Reipub: saltem vnius orbis terrarum sumus
 omnes ciues, & quantum in nobis est, commemo-
 randis quæ maxime in oculos incurrunt Ciuibus,
 domesticis eorum exemplis reddere eos auemus
 cautiore. Magnum magnificumq; quid fuerit &
 ad præsidia defensionis etiam inprimis accommoda-
 tum Oceano Britanniam circumfundi: quæ sola
 insula omni ratione maior & augustior in orbe
 terrarum prædicatur. Sed non in hoc adhuc posita
 sunt omnia, non centum millia quæ in Anglia di-
 cuntur esse Parochiarum, non tot millena exerci-
 tatissimorum militum; non tantus numerus experi-
 entissimorum ducum, non classes, non legiones,
 quando Deus voluerit, (quod vtinam nolit sem-
 per) Britanniam ab interitu vindicabunt. Fui ego
 Londini, cum Philippus Hispaniarum Rex, An-
 gliam cum decem millibus circiter militum pa-
 catè ingressus, regno licet non sine metu ac suspici-
 one quadam (vt tum ferebãt tempora) insidiarum,
 secure potiretur. Qui idẽ & cõiugi autor fuit, ne ma-
 nus suas sanguine sororis inquinaret. Atq; hũc qui-
 dẽ habuistis quondã hospite, experti etiã postea fue-
 ratis

patis hostē, & quid quamq; formidolosū sit præliari
 cū potentibus, proculdubio vtrinq; didicistis. Ego
 Christiani sanguinis detrimentum cōmune doleo,
 vobis quoq; non inuideo, qui pro Christi gloria, &
 Reipub: vestræ dignitate, multa & magna alias eti-
 am præstitistis, quæ commemorare perdifficile es-
 set singula, non necessarium vniuersa: non enim
 ob præsentium & Saturniorum temporum hæuos,
 pulcherrimi illi & aurei veteris partus qui venire par-
 est in obliuionē. Nota Anglorum Regum sumptu-
 osissima vna illa & altera, in palestina est expedi-
 tio; nota sunt ad omnia Christiani orbis basilicas,
 immensa donaria. Nota hic & ibi extructa magnifi-
 ca ædificia, nota postremò domi forisq; bella forti-
 ter gesta propemodum infinita; adeò, vt exercitus
 vestri cōscripti, circumscripti ab iisdem Christianis
 nisi fuissent, non potueret ab hostibus superari.
 Quod alias etiam ex sexcentis fœderibus cum Gal-
 lis ruptis & non pactionibus, sed armis plerumque
 terminatis facile elicitur. Quidam em̄ acumine alij
 præstant fortitudine belligerandi. Quod in Polo-
 nis, & Germanis, in Lithuanis & Moscis Græciam
 nugacem spirantibus, Anglis & Gallis, Suecis &
 Danis est depræhensum. Quamquam præ alijs etiam
 non minor neq; obscurior Britannici soli ingenio-
 rum est gloria, quod ex tot doctissimorum viro-
 rum

rum patet centurijs. Nam vt in multis vnum tantū aut alterum numerem, & vt veteres illos Cantuarienses aliosq; præteream, Cardinalis Polus & Alanus, & illi paulo superiores Thomas Morus quanta nostri sæculi fuerint lumina, quis ignorat? qui cum aliquādo aulam auramue eius potius missam facere cogitaret, in foribus sui illius hoc vnum aut alterū pinxit distichon Regis. Si non carnificis tam preciosi capitis verius appellandi.

Vitam, operam, sumptus, animamq; impendimus aula.

Premia pro meritis, que retributa putas?

Aula dedit nobis signat. i scripta papyro,

Et sine mente sonos, & sine corde manus.

Est autem in gente bellicosa (vt plerumq; fit) multo maior literarum gloria, quam in populis ad omnem humanitatē, & literarum cultū à tot annis asuefactis. Nota enim est illa vulgata pridē opinio, quod Orientales mercaturam, meridionales sapiētiam, occidentales militiam, Aquilonares hanc & agriculturam vt cōmuniter accidit, amplectantur. Quæque autem nationes in sua illa & quidem exquisita ciuilitate & elegantia, adeò sunt rusticæ & barbæræ, vt Latinitate ipsa fastidiant: & quidā exhereditarij loquentem Latinè filium, quasi indignus hoc nomine maiorum suorum videretur. Sed libebit quod libebit tot triumphis exultātibus, qui

O R A T I O.

plus vno annorū centenario quā Romani octingen-
tis orbis terræ spaciis potiūtur. Horum tamen quidē
Alphonfus Rex Arragonum & Neapoleos dictus
sapiens, qui Senecam in Hispanicum & multos ali-
os conuertit libros, reges illiteratos asinos inaugu-
ratos appellabat. Ad quam infamiam exemplo suo
detestādā hic Philippus tertius Hispaniarum Rex,
qui occidentem vna orientem altera magna ex par-
te regit, doctrina & eruditione sua recondita illa
& varia quam plurimos superauit: de quo non
meum quod exiguum fuerit, sed aliorum esto iudi-
cium. Magnum quidem & memorabilem esse Re-
gem dignum atavis editum Regibus & Cæsaribus
nemo dubitabit. Cui illud trinum Philippi in ordi-
ne nomen portendit aliquid, in hoc nouo sæculo
inchoato aut vero inchoando. Ad tuos ego interim
Anglos & Scotos me cōuerto claros. Ac de Anglis
quidem deq; eorum rebus gestis scripserunt quam
plurimi. Sed & Scotorum non minor fidei & for-
titudinis est cōmendatio, qui Christianissimorū Re-
gum in orbe terrarum dignitate & antiquitate præ-
stantium laterum suorum oppositu, latera contue-
tur, qui quoties manus consertum veniunt, (veni-
unt autem à multis gentibus, in stipendiū conducti
sæpissimè) roboris, & animi, & corporis sui edunt
exempla singularis. Ac memorabile imprimis est
quod

quod quondam Stephanus Poloniae Rex, egregius
 virtutis censor, de mercenario milite Scoto, in
 bello Gedanensi dixerat, cum illum ad speculam
 fortissimè certatè suosq; sternentem conspicatus
 esset, & quot stipendij menstrui à Gedaneñ haberet
 interrogasset, postquã intellexit decem tantum au-
 reos nummos sortiri, ego verò, inquit, non denos
 sed centenos aureos numerarem huic tali tantoq;
 militi. Et recte quidem ille id censuit. Fortissimus
 enim in acie aut vincit, aut pignatur: at in condi-
 ta & trepidans multitudo impedit alacriores. Vnde
 inter Anglorum & Scotorum Reges mirum accide-
 rat illud certamen, quorum cum alter virtuti, alter
 numero suorum præfideret, accidit vt in ipso ardo-
 re prælij rebus diffusus suis, ille qui fidebat numero
 pacem ab aduersario postularet. Vt enim equestri-
 um pedestriumq; militum vexilla, à vento agitata,
 ita & corda ab interioribus animi sensibus mota
 plerumq; explorantur. Quod ego idcirco comme-
 moro, vt Anglorum Scotorumq; virtutem ma-
 gni apud te Rex facias, & omni præmio encomio-
 que dignissimam arbitrè. Si enim in hostibus,
 quanto magis in Ciuibus virtus est honoranda, qui
 cum bellica gloria literarum etiam studia egregiè
 coniunxerunt. Nam neque ego Scotos, ex quibus
 gloriosissimus omnium tu prodis, literarum & inge-

nij gloria eiusq; maximæ, expertes esse dixerò, so-
 lus enim subtilis ille Scotus vt iuuenis admodum
 mortuus, pro multorum doctorum valet centurijs.
 vt venerabilem Bedam Fimanum doctrina & mira-
 culis insignem, Brigidam doctissimam Colonia cū
 Martyribus Virginibus mortuam, Margaretā Sco-
 tiæ Reginam in Diuas relatam, non commemorē.
 His igitur duabus nobilissimis nationibus tu iam
 fæliciter imperas, terra mariq; potētibus, vsu bellādi
 claris, animi & corporis viribus conspicuis, & ad o-
 mnia tam belli adiumenta, quàm ornamenta pacis
 conformatis. Quid enim nō habet rerum, opificio-
 rum, & adiumentorum vniuersa iam Britannia, au-
 rum, argentum, stannum, cuprum, lanam præstan-
 tissimam, pannos selectissimos, potus ceruisiæ ex-
 quisitissimos, & id genus alia multa, & supra quam
 dici potest infinita: vt mihi iam profectò Belgium
 & Britannia cum ipsa Regina prouinciarum certare
 videatur Italia: & licet soli illius nō respōdeat boni-
 tate, superat certe aut æquat industria & nauitate,
 quæ ibi maximè viget, vbi natura solers & prouida
 omnis fæcunditatis magistra aliqua in parte defecit.
 Nam in feraci adeò solo magna coadunata hominū
 colluies nō expers suorum etiā est incōmodorum.
 Omnia enim commoda, habent sua incommoda, &
 illa rursus contrariis pensantur. Illud autem est sum-
 mum

mum & potissimum, quod tu eorum regnorū gubernacula tenes, quæ vel hoc solo nomine, diuinus ille Plato, quod à sapiētibus regerentur, beatissima esse prædicauit. Ad quæ adeò etiam bona, alia concurrunt in te quam plurima, illustri & eximia natura, beneficentia, largitas, & in omnes omnium conditionū & cuiusuis fortunę homines, singularis quædã mansuetudo. Quid quod & stigmata illa tuo corpori diuinitus impressa ad eius gloriã & afflictã Reipub. salutem aliquid præstare posse omnes sperant & discipiunt, & hæc tua gubernaculorum principia votis apud Deum omnibus assiduè prosequuntur. Quæ talia sunt vt alter Augustus Cæsar, qui blandè pedetentimq; omnia, ac nō nisi per interualla summi illius celestis artificis instar, suauiter disponebat, videre, quod quasi huic nostro seculo & cælo sub quo viuimus, apparet esse contrarium. Multi enim nostratum post factum, rari ante factum, plures in facto sapiūt. Et vt plerumq; fit, Aquilonares omnes nō nisi accepto damno cautiores euadūt, adeò vt in prouerbij consuetudinem abierit, quosdam non prius quam imbribus madefactos indui tandem penula, non nisi amisso equo occludere stabula, & subolfacta oculorum caligine curare velle lumina: vtinã quidem non semper corporis sed etiam intellectus.

Quanquam vel hac quoq; in parte nulla adeo fuerit, cer-

O R A T I O.

rit certitudo, & plusquam natura ipsa inueterata
 valuerit consuetudo. Vnus ille bonarum rerum
 vsus, magister vitæ, custos fuerit probitatis, quo an-
 tequam potiare veritas sæpius solùm, & varijs co-
 gnoscendis gentibus, videndisque vrribus excollas
 ingenium, & vsum multiplicem adiungas, rerum
 artificem, & magistrum omnium perfectissimum.
 Quæ nocent, docent, & in his quæ discis, quinquagies
 pedem oportet ipsummet te impingere, &
 antequam perfectè viuas, vitam cum morte prius
 mutare. Dies enim succedit diei, & demit in horulas
 diuturnitati. Sed iam ad suum finem decurrat ora-
 tio. Gratulor equidem I A C O B E Rex Britannorum
 inclyte, & tibi regnum & te regno feliciter obtigisse,
 qui & consilio regere, & autoritate tueri, & vtri-
 usque regni potentia & sapientia simul iuncta, tan-
 tam imperij molem & poteris, & scies, & voles
 cum dignitate sustinere. Magnum illud olim quid, &
 inauditum proculdubio fuerat, Anglos Edoardum
 suum Regem Lutetię Parisiorum inaurasse, & fe-
 rè omnia præstantissima templa & ædificia tota
 Gallia condidisse. Tu quidem non de Christianis
 infestandis; sed de Barbaris ex Europa cogitabis po-
 tius expellendis, vt præter Londinum tuum alias
 etiam sedes alibi & inter barbaros maximè sortiare:
 vt de tua virtute, fortitudine, religione, sapientia,
 rerum deniq; gestarum gloria, nulla postera ætas,


O R A T I O.

nulla gens ac natio, nulla lingua, nullæ literæ, Græ-
 cæ, Latine, & barbaræ conticescant. Atq; hæc quidē
 ego dum prænuntio tibi, non in aures influo tuas,
 nō verborū lenociniis gratiam tuā aucupor, nō mi-
 hi, quæ factu incredibilia essent, somniare videor, vel
 tantillum. Multa multi de quodam principe contra
 Turcas vaticinati sunt, ex his oris excitando. Quis
 scit si tu nō ille fueris? Facilius quidem futurum est
 Christianis principibus, si modo inter se cōcordibꝰ,
 Turcicā potentiā ex alto ad media, & minus quā ad
 media iam delapsam, ad ima deprimere, quā olim
 ex infimis ac contemptibilibus fugitiuorum gregi-
 bus, latrocinio non imperio iusto coagulatam, &
 iam etiam in partes dissectam conseruare. Vasta em̄
 grandiaq; imperia mole sua ruunt, & tam interno-
 rum quā externorum hostium metu oppressa, ce-
 lerius opinione emarcescunt. Tu Tu inquā Rex po-
 tentissime, si, vt iam signum ad bene de te sperandū
 sustulisti, cunctis immortalem nominis tui glo-
 riam, Deo duce & virtute comite, propagare volue-
 ris, Cæsarem armipotentem, potentissimum orbis
 terrarum Regem Catholicum, Moscum longè la-
 teqꝰ imperantem. Tu tot tantosqꝰ tibi bene-
 uolos Principes & fautores sortiere. Tibi quidem
 iam etiam pientissimus ac potentissimus Rex Polo-
 niæ & Sueciæ, qui eiusdem ætatis tecum existens
 filium

filium etiam parem tuo annis sortitur, hanc tantam Regnorum accessione officiosa salutatione per Legatū suum virum ornatissimū gratulatur. Tua quāta quanta est Dania. Tua tot affinitatibus deuincta Germania. Te terra mariq; potentes Veneti, te tota suspicit Italia. Et nihil aliud restat, quā vt cum aliis Christianis Regibus & Principibus vnum idemque sentias & velis: ac loca illa tantopere sacrata, Mysteriis miraculorum plena, Christi hereditate & sepultura clara, ex Barbarorum faucibus vna cum aliis extra tuum regnorumque tuorum tam longe dissitorum periculum eripias, & erepta fortissimē animosissimēque tueare. Quam ad rem qui æternum viuitt & vincit, inuictum tibi animum, classes, & legiones, arma & cōmeatus haud dubiè suppeditabit, modo temporis tarditatem, caluam & præcipitem occasionem, ancipitem alienorum & longorum consiliorum euentum non expectes: & illud tibi vnum persuadeas; Multa in speciem initio videri ardua, quæ progressu temporis faciliora mollioraque fiunt, at consideratè suscepta, audacter tentata, fortiter gesta, Ducibus & authoribus gloriam pariunt sempiternam.



7759
15



775
15

